

A D

*Humanissimum atq; doctissimum
virum,*

CHRISTIANVM

GREFENTHAL, CYGN.

Philosophia Magistrum,

Juris Candidatum,

*Musicum atque Organædum
excellentem:*

Cum

LECTISSIMA HONESTISSI-

niæque virgine MARIA V Volckin,

Cive VVitebergensi;

Quod felix faustumque sit,

Nuptias celebrantem,

VVitebergæ 17 Febr. Anno 1602.



Typis Gronenbergianis.

Biogr. erud.

D. 1581/72

W. H. Ludw. f. - 141. 1. 1. - 1. 1. 1.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page. The text is mirrored and difficult to decipher due to fading and paper texture.

SU SPENSOS ajunt animos Meteóra tenere.
 Tu tamen his totum te dare prorsus amas?
 Suspensum tua te NUBES, Christjane, tenebit.
 Hoc nisi contingit, esse Poëta volo.
 Nec poteris penitus scrutari hæc NUBILA. Vel, si;
 Solus VIR, solus tute MAGISTER eris.

II.

AMARUM genus argui MARIAS;
 Amarum mare nuncupari Ebræis,
 Taubmani genuit Columba quondam.
 Quid speras, metuísve, Christiane,
 Ne tibi Lepores mei ominentur?
 Duc cum pace tuam domum MARIAM,
 Junoníque lita, Deoque carmen
 Ad lyram modulare proxenetæ.
 Quod Sponsæ ingenium tuæ, quis ardor,
 Quale in te studium; hinc mihi exputabis:
 AMARI tua se cupit MARIA.

III.

FRATRES nos sumus invicem.
 Hoc germana Fides perpetuò ratum,
 Et sincerus amor jubet,
 Nostris sufficiens mutua mentibus.
 Quæ venit tibi jam soror,
 Cur non ergo soror venit item mihi?

A 2

Sed

SED non invideo. solus, quam nactus, habeto.

Nec fratrem heic ullum vester honoret amor.

In tantam progressus amor cum tempore flammam,

Quam nulla in vobis stinguere lymphæ queat:

Te noctes urat totas, totosque dies te

Ardeat. Obfirmans ignis utrumque magis,

Gaudia conduplicet, mœrori obnoxia nulli:

Vel, si cui; numerosam hic pariat subolem.

Te vitam vocet ipsa suam; nolitque moriri,

Ni tua defunctæ mors simul ossa tegat.

Mors lino, & Tyriâ circum in-circumque-voluta

Sindone: quam recreet nardus, amorque sequens.

Mors hæc ad vitam reditus! Imitemini Amantes.

Hoc est, quod summum dicitur esse bonum.

Sophonias Hasenmüllerus, Fr. Philos.

Mag. & Poëta Laur.

Sic est: assiduè dum pulsas organa templi,

Artificis doctâ perfabricata manu,

Organon ecce datur, rerum quod maximus ille

Conditor æthereæ condidit arte, DEVS;

Organon, artificis mirè quod prodit honorem,

Sive animum spectes, sive decus reliquum,

Ora pudica, genæ mites, vox dulcis, ocellos

Cum gravitate piâ gratia multa tenet.

Quid multis? laudant auctorem cuncta, nec instar

Concentus quicquam dissonat organici.

O nimium certè tali condigna MAGISTRO

ORGANA! Sic paribus fors jugat alma pares.

Maße

Maeste igitur lætis successibus auspiciisque
 Sponse novis, Charitum gratia magna choro:
 Túque puellarum NON NVBILA gemma coronæ
 Sponso maeste novo, quem cupis atque capis.
 Hesperus an cœlo tollat maturior unquam
 Lumina? num vobis pulchrior ignis eat?
 Fallor? an Aonii sacro de vertice montis
 Plurimus hospes adest, tempora lauricomus?
 Quid sibi tot juvenes præstanti corpore? tantus
 Nympharum decor? & vox modulata tubæ?
 Cuncta sonant resonantque Hymenæe Hymen Hymenæe:
 Lætitiâ jactant omnia ritè novam.
 Quisque animis linguisque favens, Hymenæe, precatur,
 Huc ades, & lætum perfice conjugium.
 Hæc secum juvenes, hæc innuptæque puellæ,
 Par quibus adveniet consimilisque dies.
 Quare, age, tolle moras; propera quò Sponsa vocaris:
 Túque tori SOCIAM suscipe Sponse lubens.
 Vivite concordēs, servet concordia amorem,
 Vita sit harmonicis appropriata modis.
 Vivite fœcundi: prolem NVBECVLA multam
 Fundat, & irriguo compleat imbre domum,
 Vivite longævi, vivaces vincite cervos,
 Cernite Tiresiæ bis tria secla senis.
 Vivite felices, PROCVE ABSINT NVBILA QVAEQVE;
 HAUD TACEANT VNQVAM NABLIA LAETA SO-
 Vivite constantes, si vultus sumat acerbos (NO.
 Fortuna inconstans, pro levitate sua.
 Sis memor ipse tui, qui dum modularier hymnos,
 Sponse, juvat dulces, jungere dura soles:
 Sic quoque dum sese jungunt adversa secundis,
 Turbari vitæ gaudia nulla sine;
 Quin potiùs DV RVM SOLITO PRO MORE SV AVI
 COMMITTE: hinc vitæ gratia major erit.

Christophorus Vortmair, Stadens. S.

Sponsum αὐριγυατρῶδ' ὧ; alloquitur.

Sed quid? Sicne diu vagum
Emissitium, ad haud rem temerariam.
Dicto tempore, tum loco,
Effandam, lepidâ cum querimonia.
Legatum, libet impiè,
Insontem, fidei, ludere, nec mala?
Nostin' quàm probè apostolis
Longis, & brevibus, calcéque maximis.
Permixtis minimis item,
Hunc dimiseris? Vt credita pectoris
Angusti, latitantium
Flammarum, rabida caussa cupidinis,
Exponenda decenter, est?
Vt vultu notet, haud indice lubrico,
Affectus animi pios,
Scrutetur vigilax in penetralia
Cordis, condita scrinii,
Obluctantia num mollia, spes, fore?
Quid, queso, retulit rei,
Responsivè tibi nuncius aliger?
Num caussam bene protulit?
An res integra adhuc, aut opus abdicas
Cursu jam medio tuum?
Defecitne via missus? An adfuit
Quid caussa revocandi eum?
Firmaras animum non dubia mihi
Spe, nostris Dionysiis,
Personatum alia te specie, domo
Innetum cernere, & arctius?
Ast actum repetens rectius, incidit:
Legato data symbola,
Exoptata fides, queis capienda sit,
Expers invidie mala,
Omni, distinnit, sed vacuus faba,

Affinis,

*Affinis, cupidus rei,
 Exspectansque avidè jussa tonantia,
 Sensus expliciti, tua.
 Quin ergo jubeas? Altera caussa adest:
 Intercepta cupita prob,
 Rumor fert, fore vel praeipienda mox,
 A confine ter invido.
 Sic jus trudit inops, magna potentia,
 Aequum, multa faventia.
 Semper praevaluit jure inbiantibus,
 Buccellam ore tenens rapax.
 Promissam gracilem, nempe tabellio,
 Palmam, vix feret innocens.
 Sisto, Dum memor hac ruminò pressius,
 Fatis visa tenacia,
 Mirari tremulus desino nuspiam,
 Quèis fas subdere colla sit,
 Rerum quòd teneant sceptrà, potente non
 Contrà propositu viri.
 Expendens pariter tu modò talis
 Ducentem sequeris lubens:
 Delecta superis sede, subis citò,
 Sedaturus aqua, velut
 Coelesti, imbrifera *Nube*, cupidinis
 Effrenes propè flammulas,
 Ausas in bivium pellere turbine
 Anceps, cor trepidum hæctenus.
 Ignis, namque, vagi tam, opprobrium, jubes
 Quidvis & facere & pati,
 Virtutisque viam deserit arduam,
 Intrans suave periculum.
 Tricas ast abigis, figere certius,
 Dum mens est, positum pedem,
 Indulgere simul sic genio tuo,
 Raptato variè prius.*

Quidnè:

Quidni jam tibi sic, quàm meritissimo,
 Felix auspiciū precer?
 Ut nubis, Phlegya, captus imagine,
 Fædo concubitu licet,
 Ixion genuit, Marte, laboribus
 Centauros celeberrimos:
 Sic NUBECULÆ item tu, licitis, tuæ,
 Mox complexibus unice
 Utens, Centuriones, age, procrees:
 Vel Centumviri, amabiles
 Arrhæ aucti thalami, lege, latuſculis
 Conjunctis jugiter, tori,
 Nascantur: Sobolem, ſcilicet, inclyto,
 Hic veſter videat torus,
 Multam, nomine. Sic te doceas Virum:
 Virtutis validus vigor,
 Voti vivida vox, vita venuſtâque,
 Vis vivax valetudinis,
 Det centum aurea poſt ſecula Neſtoris.
 Felices ter, & inſuper,
 Nuptos vos teneat copula, peſſimis
 Nec ruptus querimoniis,
 Extremâ citius ſolvat, amor, die.

Iohann Pfreund.

QVippe vaporiferis humoribus ingruit ær,
 Nubilus atque Auſter ſceptra maligna quatit.
 Quid tu, CHRISTIANE, ô Charitum, generoſa medulla,
 Aerias nubes nube nova accumulâs?
 Crede mihi magnos nymborum parturit imbres
 Nubilus hic cumulus, ſi jubare horus abeſt.
 Sis tu igitur Phœbus, ſis Horus, nubium & hauſtra
 Ut fugiant, radiis diſjice nigra tuis.
 Discute tu nubem ſæpiſſimè, ſæpius illa
 Pro pluviis lecti pignora lecta dabit.

Leonhardus Angelus, VVinſhemio-
 Fr. P. L. & SS. LL. ſtudioſus.

